



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 21. Examen de necessario testium numero.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæc. XVI.
A.C. 1563.

§. XXI.

*Examen de necessario Testium
numero.*

*Pallav. n. 16.
S. 17.*

Cum Franciæ Rex suos Oratores in-
stigaret, ut matrimonia, quæ co-
ram Sacerdote, & tribus testibus non
sunt contracta, irrita declarari pete-
rent, hi reipsa idem postulabant, hanc-
que in rem publicas literas nomine Re-
gis Christianissimi in conventu die vi-
gesima quarta Julii habito porrigebant:
verum Lotharingus Cardinalis pete-
bat, ut decreti forma mutaretur, ac
Sacerdotis præsentia tanquam valido
Matrimonio necessaria præscriberetur,
quia tamen per hanc tot hominum, ac
præcipue Sacerdotis præsentiam vide-
batur efficacia matrimonii nimium co-
arctari, idcirco non in prima solum,
sed etiam in secunda, ac tertia forma,
quam Patres ad id a Synodo destinati
proposuerant, præsentia trium dunta-
xat testium requirebatur, nulla facta
mentionem Parochi, aut Sacerdotis; ta-
meti ob Gallorum postulata Patres
dissiderent dubii, an necne hujusmodi
conditionis necessitas esset imponenda,
plures tamen in eam abibant senten-
tiam, non modo duos, sed tres testes
esse adhibendos, eoquod facile
contingere posset, ut unus ex duobus
moria-

moriatur, aut peregre proficiscatur, adeoque matrimonii probatio haberi non possit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

Postea actum de testium conditionibus, ubi nonnulli censebant, non admittendos esse homines haud cognitos, atque hinc inde circumvagantes, sed potius tales, qui fixum domicilium haberent: denique sancitum, ut connubii contracti testimonia in codices referrentur, non a scriba, qui forte idiota, aut a partibus facile corrumpi posset, sed a Parocho melius hujusmodi rem edocto, cum hic magis pœnas Ecclesiasticas pertimesceret, si forte suo ministerio haud integra fide defunctus deprehenderetur. His omnibus rationibus permoti Episcopi, Oratores, ac Principes consentire, ut Parochi præsentia tanquam ad legitimi Matrimonii Sacramentum necessaria declararetur: petebant tamen Patres, ut Parochus nonnisi velut simplex testis præsens adsit, cum tamen Galli postularent, ut ipse Sacramento per suam voluntatem, atque auctoritatem præesset, quod verbum utique plusquam simplicem testis præsentiam sonabat.

§. XXII.

Duo articuli post longam disceptationem a Patribus approbati.

Hist. Eccles. Tom. XLVI. Hh De